



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Vitium ironiæ quod dicatur, & an semper vertatur in peccatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

Ira, passio est naturalis, qua appetimus vindictam.  
Et si ratione reguletur, non est peccatum: sed si à  
recta ratione exorbitet, peccatum est. Potest enim  
vindicta iusta rectè appeti sicut etiam potest rectè  
infligi: ut quum pater, aut Prælatus irascitur contra  
filii aut subditi delicta, & punit. Dupliciter autem dis-  
cordare potest à recta ratione. Primo, quantum ad  
vindictam appetitam: quia scilicet quispiam appetit  
vindictam iniustam: siue sit iniusta secundū se: puta  
quia appetit quod quis occidatur, qui non mereatur  
mortem: siue sit iniusta quantum ad actorem: puta  
quia licet mereatur mortem, non tamen ab homine  
primito: siue sit iniusta quantum ad intentionem, ap-  
petit illam non vt iustum, sed vt satiatiuam sui animi.  
Et sic ira est peccatum mortale, quia contra charita-  
tem: ita tamen quod propter imperfectionem actus,  
vel ex parte rati, quia non ex consensu rationis (vt  
contingit in passionibus antequām verē consentia-  
mus) vel ex parte vindictæ, quia minima est vt con-  
tingit in punitionibus minimis, quæ si fierent, quasi  
pro nihilo haberentur) peccatum solummodo veniale  
intelligas, sicut in cæteris vitijs humanis. Secundo po-  
test à recta ratione ita discordare quantum ad mo-  
dum irascendi: puta quia nimis ardenter intus quis  
irascitur, aut secundū exteriores motus nimis excan-  
descit, & sic si excessiuus modus est nudus, peccatum  
est veniale. Si autem huic excessui adiaceat aliquid  
contra dilectionem Dei vel proximi (vt blasphemia,  
aut maledictio ex animo) esset ex adiacenti mortali  
mortalis.

Vitium ironie quod dicitur, & an  
semper vertatur in  
peccatum.

Aa 4

Ironia

**I**ronia apud mortales vitium iactantiae contraria est. Irum significat, sicut avaritia contrariatur prodigalitati: ita quod ironia fingit minus de se quam sit, sicut per oppositum iactantia fingit de se maius quam sit. Et quoniam ironia aut negat aliquid magnum in se quod quis in se recognoscit, aut affirmat de se aliquem defectum quem in se non recognoscit, ideo semper peccatum est, ut pote mendacii species. Et potest distingui ironia in officiosam, iocosam, & perniciosa: ut perniciosa quae sola est peccatum mortale, intelligatur illa ironia quae contra charitatem Dei aut proximi tendit: ut quum quis ad decipendum illa vtitur: iuxta illud, Et qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Quum autem aliquis praedicat se defectuosum, & habeatur humilis, incurrit simul contraria virtus: & ironiae, fingendo defectus quos non habet: & iactantiae, fingendo humilitatem qua caret. Et quia hic est eius finis, ideo magis est reus iactantiae quam ironiae.

*Irregularis non semper dicitur peccator,  
sed poenam ferre peccati.*

**I**rrregularitas, non culpa sed poena est, nec spectans ad confessores: quia pariter absoluuntur a peccatis irregulares & non irregulares. Vnde pertransiunctum censu, monendo confessorem quod si alicubi peccatum clerici propter quod incurrit irregularitatem reseruatum reperit, dicit clero quod ipse de se ipso rationem reddat: ne oporteat confessorem reuelare omnia iura ad viuendum omnes casus quibus incurritur irregularitas, & sic in similibus (puta in synodalibus & statutis municipalibus) seruare meimento, ne erres, & te exoneres.

Scito tamen irregularitatem non soli a laicis incurri quandoque sine peccato (ut quum iudex occidit malo-